

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2028

Auteur(s) : Renaud de Dammartin, Boulogne (comte)

Auteur(s) : Guillaume Martel [particulier]

Auteur(s) : Henri d'Estouteville [particulier]

Auteur(s) : Guillaume III Tancarville [chambellan]

Auteur(s) : Raoul Taisson [particulier]

Auteur(s) : Jean de Préaux [particulier]

Auteur(s) : Henri de Ferrières [particulier]

Auteur(s) : Philippe de Bauce [particulier]

Auteur(s) : Guillaume de Mortemer [particulier]

Auteur(s) : Robert de Courcy [particulier]

Auteur(s) : Guillaume de Serrant [particulier]

Auteur(s) : Foulques Paynel [particulier]

Auteur(s) : Guillaume du Homet [particulier]

Auteur(s) : Étienne de Longchamp [particulier]

Auteur(s) : Hugues de Colonces [particulier]

Auteur(s) : Robert de Wendeval [particulier]

Auteur(s) : Guillaume de Préaux [particulier]

Auteur(s) : Jean de Roboret [particulier]

Auteur(s) : Eudes, Beauvais (châtelain)

Auteur(s) : Nicolas de Montegny [particulier]

Auteur(s) : Thomas de Pavilly [particulier]

Auteur(s) : Roger de Meulan [particulier]

Bénéficiaire(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1205, 13 novembre

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Enquête et attestation des droits du roi et des barons sur les églises de Normandie, et de l'archevêque de Rouen sur les biens de Louviers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CII, p. 140-142.

Texte établi d'après a

Ego Reginaldus, comes Bolonie, et ego Guillelmus Martel, et ego Henricus de Estotevilla, et ego Guillelmus, cambellanus Tankarville, et ego Radulfus Tesson, et ego Johannes de Pratellis, et ego Henricus de Ferreriis, et ego Philippus de Bauce, et ego Guillelmus de Mortuomari, et ego Robertus de Corci, et ego Guillelmus de Serant, et ego Fulco Paenel, et ego Guillelmus de Homez, et ego Stephanus de Longo Campo, et ego Hugo de Colonces, et ego Robertus de Wesneval, et ego Guillelmus de Pratellis, et ego Johannes de Roboreto, et ego Odo, castellanus Belvaci, et ego Nicholaus de Montegniaco, et ego Thomas de Pavilliaco, et ego Rogerus de Mellento, notum facimus universis, ad quos presens scriptum pervenerit, quod nos juravimus super sacrosancta quod jura que Henricus et Ricardus, quondam reges Anglie, habuerunt in Normannia adversus clerum, et apud Lexovium et alibi, et jura nostra diceremus.

Nos autem, per sacramentum nostrum, diximus : quod vidimus, tempore Henrici et Ricardi, quondam regum Anglie, quod, si ecclesia pertinens ad donationem laice persone vacaret, si ille ad quem donatio illius ecclesie pertinebat, idoneam personam archiepiscopo vel episcopo, in cujus dyocesi sita esset ecclesia illa [presentaret], archiepiscopus vel episcopus eandem personam de jure recipere tenebatur, nisi alius contenderet presentationem illius ecclesie ad se pertinere.

Si vero de jure patronatus contentio oriretur, archiepiscopus vel episcopus nunquam posset alicui conferre ecclesiam illam, nec aliquem recipere ad eandem ecclesiam donec contentio in curia domini regis, vel in curia illius de cujus feodo movet ecclesia, terminaretur. Quando vero causa terminata esset in curia domini regis aut in curia illius de cujus feodo movebat ecclesia, archiepiscopus vel episcopus, ad testimonium litterarum patentium domini regis vel ballivi sui, in cujus curia causa esset terminata, vel illius de cujus feodo moveret ecclesia, deberet recipere idoneam personam quam presentaret ille cui adjudicatum esset jus patronatus illius ecclesie.

Item diximus, per sacramentum nostrum, quod archiepiscopus vel episcopus, vel alia inferior ecclesiastica persona, non debet ferre sententiam excommunicationis in barones vel in ballivos, aut in servientes domini regis, aut in clericos domus sue, rege non requisito vel suo senescallo.

Item diximus, per sacramentum nostrum, quod nulla ecclesiastica persona debet aliquem trahere in causam pro fide vel pro sacramento quod fiat de feodo laico vel catallo hominis laici ; sed, si fides data fuerit de catallo maritaggi vel de legato mortui, vel de catallo clerici vel crucesignati, de causa illa bene possunt judicare.

Item diximus, per sacramentum nostrum, quod non vidimus, tempore Henrici et Ricardi, quondam regum Anglie, quod aliquis redderet décimas de fenis aut de genestis, aut de boscis, nisi prius fuerint elemosinate.

Item diximus, per sacramentum nostrum, quod vidimus Henricum et Ricardum, reges Anglie, tenentes placitum spate in civitate et banleugia Lexovii, postquam Arnulfus episcopus Lexoviensis recessit a Normannia exul hac de causa.

Item diximus, per sacramentum nostrum, quod in feodo terre Gornaii et Feritatis et Goellenfontis, non debet archiepiscopus tenere nisi tantum tria placita, scilicet : de maritaggio, de legato mortui et de catallo clerici.

Item diximus, per sacramentum nostrum, super hoc quod archiepiscopus petit apud Loviers, quod Ricardus quondam rex Anglie fecit ei excambium, et inde dedit ei cartam suam ; et dominus rex faciet ei justiciam secundum tenorem carte sue, si ei placuerit.

Item diximus, per sacramentum nostrum, de clerico qui tenet laicum feodum, quod si clericus injuriosus existit domino a quo tenet feodum, super feodo illo, dominus feodi potest saisire omnia catalla clerici que invenerit super feodum, de quocumque loco venerint, donec ei satisfecerit de his que pertinent ad feodum.

Item diximus, per sacramentum nostrum, quod, si clericus teneat aliquid de quo conqueratur laicus, et clericus dicat se tenere illud nomine elemosine, per sacramenta legalium hominum terre, recognoscetur utrum sit feodum laicum an elemosina, et hoc in curia domini regis ; similiter si laicus tenet rem quam clericus dicat esse suam nomine elemosine, recognoscetur similiter in curia domini regis per sacramenta legalium hominum patrie.

Item diximus, per sacramentum nostrum, de rebus usurarii, quod, quamdiu usurarius est in lecto egritudinis, si distribuatur res suas propria manu sua, stabile est ; post mortem vero usurarii, omnes res sue domini regis erunt, si probatum fuerit quod infra annum ante mortem commodaverit ad usuram.

Item diximus de illo qui moritur intestatus, si jacuerit in lecto egritudinis per tres dies aut per quatuor, omnia mobilia ipsius debeant esse domini regis aut illius in cujus terra est ; et sic est de illo qui se interficit spontaneus.

Item de treuga diximus quod, si aliquis vulnerat alium unde debeat perdere membrum aut vitam, placitum remanebit in curia domini regis, si conquerens vult prosequi causam, et ecclesia habeat emendam suam usque ad novem libras, si accusatus fuerit convictus, et dominus rex habeat totum residuum. Treuga vero durat a die mercurii sero usque ad diem lune mane.

Item diximus quod, si clericus capiatur quacumque ex causa, et ecclesia eum requirat, reddi debet ecclesie. Et si convictus fuerit de furto vel de homicidio, degradabitur et abjurabit terram, nec aliter pro delicto illo punietur, nec poterit postea intrare terram sine licencia domini regis quin de ea fiat justitia. Si vero postea aliquid forisfecerit, dominus rex de illo faciet justiciam sicut de laico.

Notum facimus preterea quod jura domini regis et nostra, que nobis memorie occurrebant, sicut vidimus tempore Henrici et Ricardi regum ea observari, advocato consilio prudentum virorum, scilicet Ricardi Willikier, Ricardi de Argentiis, Ricardi de Fonteneto et Radulfi Labbe, et quorundam aliorum, bona fide scripsimus pro jure domini regis et nostro conservando. Et quia jura domini regis et nostra nobis memorie non occurrebant, et quia quidam de baronibus Normannie presentes non erant, decrevimus inter nos quod ad aliam diem conveniremus et barones absentes advocaremus, si domino regi placeret, et tunc jura domini regis et nostra, que hic scripta non sunt, per sacramentum nostrum scriberemus.

Huic autem scripto sigilla nostra duximus aponenda. Actum Rothomagi, anno gratie M^o CC^o quinto, mense novembri, dominica post octavas festi Omnium Sanctorum.